Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

§. 2. Regulæ generales dignoscendi pœnitentis indispositionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

Visual Library

corde amoris proteſtationes proferunt, & vix reperiet ullum, qui ſe Deum diligere ex toto corde non profiteatur. Itaque ex modo, quo Pœnitens ad ſuſceptionem Sacramenti ſe præparavit,& ex vitæ ſerie colligi poteſt, an amore Dei præditus ſit. Si de Deo frequenter, & cum pia affectione cogitet. Si ſollicitus ſit, ne Deo diſpliceat, & mandata Dei, ut ipſi placeat, ſervare curet, probatio enim dilectionis, exhibitio eſt operis. Ex ſimilibus indiciis Confeſſarius moralem certitudinem de victrici Dei dilectione, & idonea pœnitentis diſpoſitione haurire poteſt.

§. 2. *Regulæ generales dignoſcendi Pœnitentis indiſpoſitionem.*

1. SI actuali peccandi deſiderio deprehendatur implicatus, V.G. ſi bona aliena reſtituere, famam læſam reparare detrectet. 2. Qui de peccatis ſe conteri aut non velle, aut non poſſe profitetur. 3. Qui crimina defendens ut licita, aut mortalia ſuſtinens eſſe venialia, ab iis committendis noluerit abſtinere. 4. Qui proximas peccandi occaſiones, ſive externas, ſive internas deſerere, aut remediis ad converſionem neceſſariis uti recuſat. 5. Qui nullam examini conſcientiæ adhibuerit diligentiam. 6. Si ſatisfaciendi careat voluntate, aut rationabilem tenuat acceptare pœnitentiam. 7. Qui Fide caret ad ſalutem neceſſaria.